

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS


SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES
—
VARSAVIAE POLONORUM VARSVIAE POLONORUM LONDON W.
Rakowskie Przedmiescie, 15. Krakowskie Przedmiescie, 6 28, Orchard Street.

IN ANGLIA

AMERICAE SEPTEMTR.
Apud FRIDERICUM PUSTET
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

NEW YORK CINCINNATI
52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

Foedus de manuum labore inter Gallos et Italos sanctum.
Biblica studia.
Qui finis Ecclesiae fuerit in areani disciplina constituenda.
Religiosae vitae exordia.
Certamen poeticum in Academia Regia disciplinarum Neerlandica ex le-
gato Hoeufftiano in annum MCMV indictum.
De festo Corporis Christi.
De sacro linteolo sive "corporali", in Urbevetana cathedrali asservato.
De sollemni Pontificia pompa quae in festo SS. Corporis Domini Romae
ad Vaticanum ducebatur.
Christiani martyres Florentiae commemorati.
Acta Pontificia: I. De mandato SSmi a Cardinali S. Tridentinis de cretis
interpretandis praeposito indicetur Apostolica Visitatio in omni Italia. II. Sanctissimi
Domini Nostri Pii PP. X litterae ad Eminentissimum Virum Josephum Seba-
stianum Neto, Olyssiponensem Patriarcham, circa Lusitanum Collegium de Urbe.
Ex SS. Congregationibus romanis sententiae novissimae selectae.
Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. - Pontificiae electiones. - Varia.
Annales: Iaponici belli vices. - Thibetana expeditio. - Africanae res. - Americae
discordiae. - Regalia itinera.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.

In tertia operculi pagina:

Per Orbem.
Varia: Maxima lignorum flammiferorum fabrica. - Palma cerifera.
Epistolarum commercium.
Aenigmata.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIV

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii **VOX URBIS** administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad **VOCIS URBIS** administratorem (*Romam, via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii **Vox Urbis** administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii **VOX URBIS** paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

👉 IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. 👈

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra italiam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

FOEDUS DE MANUUM LABORE INTER GALLOS ET ITALOS SANCTUM.

Quae de manuum labore foedera suum iam amplissimum per omnes gentes locum obtinent, quaeque nuper Itali Gallique ferierunt, Christianorum consiliis optatisque illis respondere magno cum gaudio videmus, quae nos non semel, quoties se praebuit occasio, recolimus; pondus autem negotiorum iure pendere superfluum non duximus. Etsi enim fatalis quaedam lex vivendae vitae ubique esse noscatur, non aequa tamen iusta, non aequa legitima laboris merces appetit. Variae immo atque multiplices causae vel augent vel deprimunt hominum vires, quae varium operis fructum atque mutabilem efficiunt. Missas enim quamvis demus vitorum causas, quae brevibus ludis interdum lucrum plurium dierum effundunt et disperdunt, adeo exigua plerumque merces operum cernitur, ut iniquam diem efficiat hodiernam, crastinam vero et futuram omnem aetatem incertam omnino atque anxiā reddat, et spem medendae egestatis adimat. Eo enim magis exinanita merces est quo magis labor exauctus et diffusus. Quinimo laborandi haec febris nimia forsan effecta est pro hominum multitudine, qui orbem incolunt. Qui itaque proletarii dicuntur per varias regiones coniurant de laborum praemiis capessendis; quem morbum cum ditiores neglexerint medelae incuriosi, socialistarum inde atque anarchistarum agmina exorta sunt, non sponte quidem, sed coacte, iubente inedia atque egestate; mox exacerbatis animis odium additum est, quod pessimum discrimen efficit. Impia profecto inde pactio sectarum et factionum, odio suadente, est constituta; at stultum est negare causas et necessitates non vanas, non arte effectas omnem rem primitus genuisse.



Vicissitudines non repetimus, quae tandem ad hodiernam huius discriminis eamque metuendam formam cives impulerunt. Id unum meminisse sat erit, socialistarum doctrinam non extemplo esse ortam, sed paullatim, etsi non culpabili egestati remedium sese praestare ea arbitretur medelis pessimis, ferocissimis animantium forte dignis, homine vero ratione polenti indignis omnino. Haec si quis negaverit

oculis captus censendus erit, qui historiae leges ne minime quidem perspectas habuerit, cui hominum atque civitatis decursus prorsus fuerint ignoti. Nullus enim iam manet ordo, nulla proportio inter labores, quos homines ubique exantlant, quasi mala febri acti, atque eorum necessitatem ut ipsi eam persentiant et experiuntur, magis vero si comparentur haec cum operis mercede paene iniqua, exigua et inani. Neque iam absimilis civitatis hora videtur ab ea nonnullorum hominum audacia, qui quum nimias sibi esse vires senserint animo et corpore, quas ubi erogent non habeant, eas amenti consilio in vanos incoepitus vel perniciosos, vel exitiales convertunt. Quos ni prudens vir pariterque tenax retinuerit atque moderatus sit, fatale erit quidem non sibi tantum, sed et suis persaepe, interdumque vel patriae lamentabile exitium comparare.



Non alia enim de causa miserrimos nostri generis protoparentes aeternam sibi filiisque suis omnibus mortem, lugendamque vitam hanc consequuti sunt; qui cum experientur partum sibi atque concessum aliquid divinum, quod inquietum erat et non satiable nisi divina auderet et aggredieretur, impositas sibi leges effringere nisi sunt, eo quidem exitu quem omnes, ex incunabulis ad feretrum usque, vitam trahentes sentimus. Atqui profecto medela morbi una est per Illum, qui humani quoque generis deperditam beatitudinem sui ipsius holocausto restituit.

BIBLICA STUDIA.

POST datas encyclicas Leonis XIII epistolas, quibus petulantia bibliacae liberioris schole ingenia coercentur, postque nuperrima Apostolicae Sedis decreta a SS. D. N. Pio divina providentia Papa X eo lata consilio, ut inviolata christiana lex staret atque ne umquam Divinarum Litterarum doctores, novarum rerum auctoribus plus minusve addicti, tamquam arundines omni doctrinae vento agitatae hue illuc circumferrentur, iuvat in laetitia et gudio conclamare: « Roma locuta est, lis finita est, utinam finiatur et error! »

Quae optata cito ad eventum festinare posse confidimus, rati, divinam inesse vim Ecclesiae

oraculis, ex Christi promissione, uti christiana fides nos monet, nunquam defuturam.

Attamen, dum redit animus, cum, Supremi Antistitis iusu, praeclera occasio detur Sacras Litteras in scholis feliciter instaurandi ac promovendi, quas — id enim pro rei veritate candide fateri necesse est — interdum remissas temporibus doctorum socordia vel inceulta a pristino descivisse honore omnes norunt, sollicita cogitatio mentem occupat de ratione scilicet horum studiorum nobis suscipienda, qua certae Ecclesiae auctoritati usque obsequentes, catholicam doctrinam, contra eos qui christianae fidei adversantur, strenue tueri et vindicare queamus, iidem ab illis artis criticae inventis haud alieni, quae ad Sacros Libros rite explanandos maxime conferant. Sane scimus illud antiquis solempne fuisse: « Si vis pacem, para bellum ». At nemo est qui ignoret hodie ad pugnam nova eaque atrociora expediri arma, et quae a fidei hostibus contra ponantur, quamvis ex una erroris fonte orta — qui error antiquus aequa ac mundus est — adeo fucatis coloribus pingi, idque novitatis fastigium attigisse videri, ut, sine recentioris cultus auxilio, vel permediocris quisque refellere posse credat. Igitur quaenam ratio novae εξηγήσεως, instaurandae?

Pauca hie subiicimus, quae tum ad doctores, tum ad discipulos spectant.



Utque a doctoribus ex ordine incipiamus, quis dubitet quin in mediocri S. Scripturae explanatore multa requirantur, quae non raro in ipsis litteratis hominibus frustra desideres?

In primis, quod attinet ad litteralem quam vocant Sacri Codicis explanationem — quae expressa ad verbum significatio prima semper quaerenda erit — cuique perspectum est, veram accuratamque S. Scripturae interpretationem nullo modo colligi posse sine hebraicæ ac graecæ linguae cognitione. Quamquam enim atque optima commentaria λεξικά, idest verborum thesauros, ad manum habemus, longe tamen praestabit, ut interpres, cum de varia lectione res est, nativum exemplar consulat, siveque, in intimam verborum et orationis contextae structuram penetrans, rectam significationem arripiat. Adde, Vulgatam latinam versionem, quae in scholis legi solet, non omnibus esse absolutam numeris, ut ipse Hieronymus auctor est; quod causa erit cur doctus interpres, locis inter se specie dissidentibus comparandis, multum sudet atque labore.

Haec de interpretatione ad verbum expressa. Quid autem de interpretatione « allegorica, anagogica et morali », quae deduci nequit, nisi

monumenta christiana traditionis, idest SS. Patrum opera, tum graecorum, tum latinorum, sedulo evolvantur? Quid de sublimioris ἐξηγήσω; controversiis, Rationalistarum impulsu, serpentine more, huc illuc continuo irrepentibus? Evidem et haec catholicum doctorem novisse oportere nostrorum temporum ratio et indoles eunctis suadet.

Neque breves artis ἑρμηνευτικῆς libri, qui tironum usui inserviunt, ad id satis erunt.

Peropportune huic necessitati – quod attinet ad Venetam hanc regionem – consulere studet praclarus de re catholica commentarius, cui nomen *La Riscossa*, qui decimum quintum iam annum Bregantiae, in lucem prodit. Cui commentario singularis ingenii vir *Miles Christi* reique biblicae peritissimus impense prospicit, modo in novorum librorum iudicium et censuram, modo in controversiarum biblicarum evolutionem incumbens, ita ut, ad catholicae fidei normam et regulam tutior sententia late pateat ac roboretur. Speremus fore ne tot inclyti viri labores frustra pereant? Spem voti firmabit securitas, si omnes, quorum interest, huic Commentario incrementa dederint.



Sed et tironibus Divinis Litteris imbuendis haud minoribus curis cavendum erit.

Verum hic tantummodo sermo est de minoribus scholis, sive *Seminariis*, quae pro temporum locorumque ratione areto ambitu continentur, non de studiorum Universitatibus, quae ad animi cultum perficiendum praecipue spectant. Ex quo tamen non sequitur, sin minus comptam, rerum biblicarum disciplinam mancam esse oportere, cum tironibus, veluti militibus, contra infensissimos Ecclesiae hostes, tamquam in procinctu, standum sit. Quare necesse est ut etiam in hisce scholis, quae magno intervallo a studiorum Universitatibus absunt, qua par est diligentia, atque iis terminis circumscripta, quos locorum adiuneta patiuntur, Sacrarum Litterarum tradendarum ratio apte temperetur, minime neglectis quibusdam disciplinis, quas biblica studia sibi advocatas habent.

Neminem etenim latet quantum Historia Sacra V. et N. Foederis librorum explanatorem iuvet; quantum linguam hebraicam et graecam vel leviter attigisse; quantum de rerum natura doctrina, quae postrema narrationem mosaicam de mundi origine cum recentioribus inventis, mirandum in modum, conciliat. Quae si doctoribus, ut supra diximus, nonne et discipulis scitu necessaria erunt? Contra si doctor, angustia temporis pressus, raptim haec elucidet, rudem indigestamque molem procreare nitetur. Quamobrem inde ab incunabulis atque singulis gymnasii et lycei classibus rerum gestarum populi iudaici studio tirones, pro viribus, operam dabunt.

Idem de graeca lingua dicemus, quam ut cito tiro discat, deletis contortis grammaticorum teutonicorum quaestiunculis, faciliore eoque expeditiore itinere gradiendum erit, brevissimis contenti artis grammaticae praceptis, locisque optimorum scriptorum cum V. et N. Foederis lectione saepe commutando: ita ad perfectam κοινὴν διαλέκτου cognitionem viam sibi sternet alumnus.

Theologico ludo necti poterit linguae hebraicae schola; at quae re, non nomine tantum exstet. Cui, si saltem in octonus dies una assignetur hora, tempestive, haud ingrata messis fiet. Sufficiet tironibus si eo processerint ut sibi legendi modum familiarem habeant, verborum radices noverint et libris λεξιστῖ; uti sciant, missis quae de vocalium mutatione deque accentuum regimine, nimis accurate, rabbinorum more, artis grammaticae cultores fuse tradunt.

Insuper et Patrologiae, quae, christiana traditionis luminibus, regulas firmat, quotius rectum veritatis tramitem catholicus interpres ingrediatur, suus tribuetur honor, cum huic muneri Historiae ecclesiasticae doctor commode satisfacere possit.



Quae autem exposuimus perfici ne poterunt illis in Seminariis, in quibus grammaticae, humanitatis et philosophiae ludi a clericis una cum laicis frequentantur? Studiorum ratio quae propria laicorum est, nonne impedit quominus clerici in Christo instaurentur? Hic solummodo difficultatem hanc animadvertisimus, quam illis quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei tollendam committimus. Nos Summi Pontificis humiliter dicto audientes, dum Ei christianos mores instauranti vehementer plaudimus, Deum precamur ut tanto Antistiti optatam detur contingere metam!

Scriebam in Portu Romantino, Kal. Maiis MCMIV.

MARCUS BELLI.

QUI FINIS ECCLESIAE FUERIT IN ARCANI DISCIPLINA CONSTITUENDA.

HOMINIS est, in iis quae agit finem sibi praestituere; quum naturae rationalis operatio sit fructus amoris, qui oritur ex iudicio *practicō* humanae intelligentiae, ideoque fructus rationis, quod voluntatem determinat, quum ei causas exhibit pro hac vel illa contradictionis parte praevalentes. Hinc ecclesia et quia ex hominibus ratione utentibus componitur, et quia ab Eo dirigitur, qui fructus duleissimus est amoris increati et aeterni, Patris et Filii, certe in hac disciplina constituenda, finem sibi decrevit. Quare, obiecto huius disciplinae in superioribus Commentarii nostri numeris declarato, qui finis ecclesiae fuerit in arcani disciplina constituenda inquirendum est.

Novatores ac « rationalistae » dictitant tales disciplinam fuisse prorsus ineptam, quippe quae ad finem assequendum nihil plane conferret, imo ad contrarium duceret, maximam hominum partem privando cognitione omnino necessaria.

Huic difficultati satisfaciemus, vel obiter inspiciendo conditiones in quibus tunc temporis mundus versabatur et rationes quas de tali consuetudine Patres et Scriptores ecclesiastici nobis exhibent.

Religio enim christiana in mundo apparuit, cum idolorum cultus mundum sibi devinctum habebat. Neque solum vitium honore divino dignum habebatur, uti Iupiter incestuosus, Venus impudica, Mercurius fur; sed etiam bruta ani-

mantia, imo res animae expertes. Ipse vero populus Iudaicus, veri Dei notione amissa, iam codicem portabat, ut christianus crederet. Tali tempestate exorta religio christiana, et quidem cum copia dogmatum et praceptorum ethnicis omnino ignota, existimavit se non posse illis tantum prodere thesaurum, quin vel derisus illum exponeret, vel ethnicos deterreret quomodo amplectentur doctrinam tantis et talibus refertam mysteriis. Neque inanem fuisse derisus timorem, inter alia, ostendit « crux illatoria » Palatini parieti insculpta, nunc in museo Kircheriano servata; ubi exhibetur imago hominis adorantis crucifixum, cui caput asinum, his graecis verbis adscriptis: ΑΑΕΞΑΜΕΝΟC CEBETE ΘΕΟΝ, i.e. Alexamenos adorat Deum (suum).

Quare et honor mysteriis debitus et ipsa populorum salus effectit, ut ecclesia profanis mysteria occultaret. Ad rem sapienter S. Cyrillus Hierosolymitanus: (1) « Aegroti vinum postulare solent; quod si illis intempestive datum fuerit phrenesim conciliat; et duo hinc nascuntur mala; nam et aeger interit et medicus male audit ». Patres Concilii Alexandrini (2) easdem, quas adduximus, rationes insinuant: « Nefas enim est (aiunt) mysteria apud non initiatos traducere, ne ethnicci quidem horum ignari irrideant: catechumeni vero ad curiositatem deducti scandalizentur ».

Pro catechumenis autem ratio peculiaris adest. Priusquam vero eam adducamus, notetur catechumenos non omnino latuisse mysteria; esse quaedam quae ipsis occultarentur. Nam cotidie, cum episcopus iam iam sacra mysteria celebratur, concioni finem imponeret, audiebatur vox diaconi praecipientis: « Quotcumque catechumeni estis, recedite » (3). His suppositis, Ecclesiae Patres docent catechumenis sacra mysteria occultari, ut ab iis ardenter baptismus conciperetur. Ad rem Augustinus (4): « Si catechumenis sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quod ea ferre non possunt, sed ut ab eis tanto ardenter concupiscantur, quanto ab eis honorabilius occultantur ».

Eoque magis quod plures catechumeni erant, qui ad mortem usque baptismatis receptionem differebant; quorum etiam causa et utilitate ecclesia occultabat mysteria. De istis ita scribit Gregorius nyssenus (5): « Me tui pudet, quod cum consenseris, adhuc eiciaris cum catechumenis, tamquam insipiens puerus, et arcana non potest celare, cum dicendum sit mysterium. Unire populo mystico et arcanos disce sermons ».

Neque opponatur disciplinam arcani infirmare argumentum pro divinitate ecclesiae, ex celeri propagatione religionis christiana deducetur. Non enim mysteria occultabantur iis qui religionem christianam amplectebantur, sed ita gentibus proponebantur, ut ex eorum sublimitate a professione christiana non deterrentur. Ceterum, gentibus nullimode occultabantur creatio mundi, peccati originalis propagatio, Messiae adventus, passio, mors et resurrectio; omnibus quoque aperte proponebantur religionis

(1) *Catech.*, n. 12 (Edit. maur., pag. 9).

(2) V. S. ATHAN., *Opera omnia*, tom. 1, part. 1.

(3) V. auctorem sermonis in app., tom. 6, operum S. Aug.

(4) *Tract.* 96 in *Ioannem*, tom. III operum.

(5) Opp. omnia edit. Par. 1638, tom. II, pag. 218 e 213.

nostrae praecepta, quae, eo tempore, inspecta societatis corruptela, perdifficilem reddebat christiana religionis professionem. Eiusmodi erant: virtus fugienda, virtus amanda, homines pares, imo fratres in Christo, servitus abolenda, et alia.

Quare arcana disciplina « vim moralem » miraculi propagationis christiana religionis nullimode infringit; solum ostendit, quo reverentiae obsequio maiores nostri religionem prosecuti fuerint et quibus rationibus salutarem conversionem ethnicorum ad Christum curavrent.

B. DI DARIO.



RELIGIOSAE VITAE EXORDIA.

DE monachorum origine atque de monasticae vitae primordiis haud recens profecto disceptatur (1). A quarto enim saeculo oriente, quum late vulgata eiusmodi vitae regula fuit, quaerere est coeptum undenam vivendi ille ordo duxisset initium. Sciscitantibus autem haec aliave huiusmodi, monachorum ipsi principes, uti Gregorius ille Nazianzenus atque Cassianus, responderunt; quorum plerique, ut Serapio ipse, Nilus et Augustinus, rei exordia Sacros per libros perquirentes, Christum auctorem eius primum concordi mente sunt arbitrati. Quodsi Elias Elisaeusque prophetae, ipseque serius Ioannes Baptista vitam plerumque suam monachorum vitae persimilem instituere, unus tamen Jesus eiusmodi vivendae consilia, regulas, documenta primus tradidit.

Quae plane cum primi implevissent Apostoli, eorum discipuli proxime secuti sunt, suosque assecelas ea fideliter docuere. Quamobrem instituta illius vitae adeo fideliter a primis sanctorum comunitatibus servata sunt, ut, quo tempore, superatis persecutionum pugnis, Ecclesia libera floruit, ea summo iam honore vigerent.

Nam si eos audiamus auctores, religiosae vitae consuetudines omnibus Christifidelibus primo tempore fuere communes, sive sacerdotes ii fuerint, sive laici. Postquam vero primus ille fervor aliquantum remisit, quotquot erant sacrae traditionis cupidi custodes corruptam linquere conversationem coacti, in solitudinem confugere, ubi perfectioris vitae studium tuto prosequerentur. Hanc opinionem passim theologi retinuere, quibus praesertim contigit catholicam doctrinam contra haereticorum pravitatem tueri, uti Suarezio atque Bellarmino, datum est.

Sed Wiclefus primus, mox Lutherus atque Calvinus eam sententiam funditus oppugnavere blasphemantes Antonium Basiliumque atque Benedictum in instituendis monachorum familiae quam maxime peccasse atque ab Evangelii documentis longe aberrasse, ita ut digna poenitentia suum expiare crimen Deo coram eos oportuerit. Huiusmodi haereses Constantienses Patres in Concilio iam damnavere; innovatas autem a Lutheranis iterum Tridentina decreta respuere. Magdeburgenses quoque centuriati haec calumniabantur dum principes eorum asseciae

monasteria vastant et templa, dum religiosi sodales hisce capti erroribus vota sua conculcantes uxores sibi ducunt. Quin etiam mirum fuit, catholicos quoque scriptores aliquot in eamdem, quam illi protulerant, sententiam descendisse, quod, profecto, et nostris quoque temporibus nonnulli retinuissent, nisi, repetentes Ecclesiae origines, docti viri tandem tuto calamo valuiscent quaestionem prorsus enodare. Qui itaque uno ore consentiunt primis etiam Ecclesiae temporibus fuisse inter fideles religiosam qui viventer vitam, quos haud ferme monachos sed confessores, sed continentes, vel religiosos Ecclesia appellabat, aut denique generali et graeca voce « ascaetas »; unde religiosarum sodalitatum repetendum primum initium satis certe appetit.

CERTAMEN POETICUM IN ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEERLANDICA EX LEGATO HOEFFFTIANO IN ANNUM MCMV INDICTUM.

Accepimus, ac libenter edimus:

« Pridie Id. Mart. in concessu Ordinis litterarii iudices de XV carminibus sibi missis hunc in modum rettulerunt:

Cum plerumque in huiusmodi certamine aliquot carmina nimis exilia statim spernerentur, id hoc anno non obtinuit, nam nullum prorsus meritis vacabat.

Debiliora tamen visa sunt haec:

Toujours, toujours tourne la terre où moi je cours; Cimbri; De nece pulcherrimae Romanae virginis; Nausicaa; De balnearum ad mare deliciis; Polus.

His praestabant quatuor carmina per gradationem a minoribus ad maiora sic disponenda:

Jeanne d'Arc, Proserpina, Licas, De insulis Tuanotu inundatione vastatis.

Restabant optima, e quibus praemio ornatum est *Paedagogium*, cuius schedula aperta nomen prodidit **Iohannis Pascoli** ex Castro Sancti Mauri. Huic proxime accedebant **Cornelius Gallus Parthenio**, dein *Duo Signa*, tandem *De telegrapho acrocodilo et ad Franciam*, quae impetrata auctorum venia una cum *Paedagogio* in lucem prodibunt. Iam dederunt hanc veniam scriptores carminum *Duo Signa*; *De telegrapho acrocodilo et ad Franciam*, quorum schedulæ ostenderunt nomina **Petri Helberti Damsté Ultraiectini**, **Petri Rosati Bononiensis** et **Francisci Xaverii Reuss** Romani ex Alsacia oriundi.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentative privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kal. Ianuarias proximi anni mittant ad Hermannum Thomam Karsten, Ordinis litterarii Academiae ab actis, munita sententia, item inscribenda schedulæ obsignatae, quae nomen et domicilium poetæ indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portabile prelum Britannicum (*typewriter*) adhibere velint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadrigentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando schedulæ aperiendae venia dabitur.

Exitus certaminis in concessu Ordinis mense Martio pronuntiabitur, quo facto schedulæ carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, Id. April MCMIV.

H. KERN, *Ordinis Praeside».*

DE FESTO CORPORIS CHRISTI

EUCHARISTICI mysterii commemorationem ab Ecclesia ad feriam quintam maioris hebdomadis constitutam fuisse omnes sciunt; at saeculo p. C. XIII inter tot catholicae religionis angustias passim expetitum est ut alias ad rem designaretur dies, isque talis ut neque a luctu neque ab aliis caeremoniis fideles deducerentur. Tenet fama (1), beatam feminam Julianam a Monte Cornelione ad Leodium hospitali domui praepositam, quo vehementi erga augustum Eucharistiae sacramentum capiebatur affectu, divinitus fuisse edoctam, ut praefinita nova die illud singulariter coleretur; inde theologos nonnullos, antistitesque consuluisse remque ad ipsum episcopum Verodunensem, qui deinde Urbanus PP. IV renunciatus fuit, fuisse delatam, cunctisque consentientibus Robertum Leodicenium episcopum ope Concilii novo huic festo initium dedisse an. MCCXLVI, idque in universa sua dioecesi servandum decrevisse. Brevi primo inter Belgas, deinde illius regni fines egressum in ipsa Italia vulgari coepit, quum Italica gens recenti eoque mirando portentu commoveretur, qui animorum pietatem in Christi Corpus magis magisque excitaverat.

Anno enim MCCLXIII Vulsiniis, in oppido Etruria, sacerdos quidam Bohemus quum in templo S. Christinae, quod maximum oppidi est, sacra litaret, postquam sanctissimis conceptis verbis Christi Corpus et sanguinem confecisset, quumque tanti mysterii veritatem in dubium adduceret, ex improviso sanguis ex divina hostia erupit, quo linteolum seu « corporale » conspersum est. Eventi rumor longe lateque brevi percrebuit et tantam cuivis iniecit admirationem, ut ii quoque obstupuerint, qui novis philosophandi commentis imbuti quidquid sancti in templis est audacter irriderent. Ocius ad Romanis Pontificis aures nuncium pervasisit, qui tunc ob temporum acerbitate Urbevetere morabatur. Erat is Urbanus ille IV, qui antea episcopum Verodunensem recordati sumus: prodigium suis ipsius oculis videndi captus Vulsinios advolavit et vehementissima animi commotione linteolum pluribus latisque maculis cruentum venerabundus conspexit; deinde sollemni indicta supplicatione ad Urbevetanum templum princeps reponendum curavit, pauloque post, anno scilicet MCCLXIV, decrevit ut sacri eucharisticici mysterii sollemnitas quotannis feria v post octavum a Pentecoste diem ubique gentium perpetuo celebraretur. Quod quum optimum factu et Deo gratum fore existimavit,

(1) Cfr. BRUNNED. XIV, *De festis D. N. I. C.*, c. XIII.

(1) Cfr. scriptum R. P. DOM BESSE cui titulus *Donde vengono i Monaci?* ex collectione libr. de scientia ac religione 1^{ma}, quod Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., 1904.

tum praecipue valde opportunum cognovit, ut gliscens Berengarii haeresis, qui verae Corporis Christi sub speciebus panis et vini praesentiae refragari audebat, publica auctoritate opugnaretur.

Sed heic neutquam insignis in angustum Sacramentum Pontificis pietas acquievit. Ut eius diei sanctitati maiestatique cumulus quodammodo accederet, psalmodiam Thomae Aquinatis, qui Romae tunc temporis agebat, exaramdam commisit. Quo in opere vir pientissimus, idemque maximum totius Ecclesiae lumen atque ornamentum, tam mire adlaboravit, ut omnium exspectationem longe vicerit, propterea quod tum sententiarum delectu, tum gravitate verborum id omne exhausisse videtur quod de tanto mysterio dici unquam possit.

Post Urbanum IV, Clemens V in concilio Vindobonensi an. MCCCXI habito, universo Patrum consensu, festum Corporis Christi nova sanctione excitavit. Urbani exemplum aemulati quoque sunt Ioannes XXII, Martinus V et Eugenius IV. Siquidem Ioanni haud longius quidquam fuit, quam ut decessoris decreta perficienda curaret; Martinus autem et Eugenius, propositis pontificali indulgentia admissorum rite expiandorum privilegiis amplissimis, mortales cunctos ad id festi colendum invitarunt. Omnis denique cura, omnis opera impensa in illud est, ut in singulis Christianae reipublicae Ecclesiis tandem aliquando ea obiretur solemnitas, a Tridentina Synodo «haeresis triumphus» iure appellata.

DE SACRO LINTEOLO SIVE "CORPORALI," IN URBEVETANA CATHEDRALI ASSERVATO.

LINTEOLUM sive corporale celeberrimum, in quo vestigia Vulsiniensis miraculi adhuc asservantur omnibus clare inspicienda ad Urbano PP. IV delatum in Urbevetanam cathedralem superius diximus, ibique repositum. Neque profecto minori studio Urbani successores curarunt ut pretiosissimus hic thesaurus qua par esset dignitate cultaque asservaretur. Idecirco haud ita multo post Nicolaus PP. IV novam eamque augustiore aedem Urbevetere condidit rem iussit, cuius primum ipse auspalem lapidem posuit. Sic iactis fundamentis prospere adeo feliciterque, ex collato civium aere, molles educta, opusque perfectum est, ut in Italia magnificis templis insignis proculdubio inter primores excellat Urbevetana aedes princeps, et nobilissimis merito accenseatur. In ea enim ad exquisitissimae Gothorum architecturae le-

ges exstructa, si aedificii amplitudinem et spaciem, si interiori parte marmorea signa, pietaque udo illitis coloribus opera spectes, si frontem denique eiusque ornamenta ectypa et prototypa singulari artificio elaborata attente consideres, haud poteris, quin summum artis magisterium ac longe pulcherrimum mireris.

Sed de Urbevetana cathedrali alias in *Voice Urbis* lateque disseruimus; quin etiam eius prospectum sive exteriorem sive interiorem dedimus (1); nunc de sacra linteoli reliquia aliquid addemus. Atque hic quidem auctore utamur Odorico Raynaldo, qui in suis *Annalibus Ecclesiasticis* (an. 1264, num. 26 et seq.) de ea seribit quae sequuntur: «Haec tamen et alia omnia [in Urbevetana civitate] conspicua a supernaturali illius sanctissimi corporalis prodigio superantur, quod mihi summa in contemplando felicitas fuit; nam Superioris per-

custodia distentum sacram illud corporale asservari, in proprio sacrario a cornu evangelii aerae maxime, super solio, ad quod aptae scalae ducunt, ita ut per vitrum reliquiam tegens cuique pateat eam apprime cognoscere, atque etiam deosculari.


DE SOLLEMNI PONTIFICA POMPA QUAE IN FESTO SS. CORPORIS DOMINI ROMAE AD VATICANUM DUCEBATUR.

Ab ipsa festi SS. Corporis Iesu institutione, de qua superius locuti sumus, publice Sacramentum circumlatum fuisse sive ex traditione sive ex documentis coniicitur; quinimo praeter clerum, vel ipsi publici magistratus, et reges, et imperatores psallentes, maiore quo lieuit ornatu per plateas et fora illud prosequi honorificentissimum duixerunt. Cuius pietatis officii splendor decusque procedentibus annis mirum in modum accreverit. Tunc enim consuetudo obtinuit, ut in urbe quaque vel oppido cives incolaeque vias omnes, qua sacrosancta Hostia deferenda esset, textilibus velisque discoloribus, floribus etiam frondibusque certatim ornarent, protegerent; ipsi autem frequentes, faces plerique accensas gestantes, cantisque editis sollemnem pompam comitarentur. Ergo si in locis quae Roma longe etiam distant tanto pietatis exemplo festus hic dies habitus est, potiore sane iure Pontifices Maximi Romae haberi voluerunt.

Quamquam non uno eodemque loco, nec una eademque ratione huiusmodi pompa sese habuit; verum denique ad Vaticanum constituta est. Hanc itaque describere aggredimur, qui tamen quum ob iuuentutem, quam agimus, sorte nunquam interesse eidem datum sit, a Cancellelio depromamus, vel potius a Iulio Barluzzio, qui opusculum de re latine diligentissimeque exaravit (1).

Iamque initio festi a vespero praecedentis diei dueto, magna confluentis populi multitudine Vaticanum adibat festum apparatum invisura; peristylum enim aulacis hinc inde intercludebatur ad solis radios prohibendos. Hoc peristylum protrahebatur circa forum inferius signis identidem erectis, buxe fronte convestitis, quae duplex niveum velum sustinebant contiguarum aedium parietibus appensum; nec parietes solum, sed et ipsarum aedium fenestrae sericis

(1) *De Sollemni Pontifica Pompa, quae in festo Sacro sancti Corporis D. N. Iesu Romae ad Vaticanum ducitur, commentarius.* — Romae, ex typographo Perego-Salvionario an. MDCCXXXVII (Latine, Italice, Gallice).



Vulsiniense miraculum

a RAPHAEL SANCTIO in aedibus Vaticanis effectum. (Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

missu, nedum diu illius maculas (in quibus Christi figurae replicatae conspicuntur in actu *Ecce Homo*, iuxta formam hostiae illius saeculi) observaveram, sed etiam mihi licitum fuit quandam concavitatem intropicere, aperiendo scilicet quoddam operculum ferreum clavibus firmatum, ubi quaedam telae fragmenta sanguine conspersa et involuta inventa sunt, in quorum medio erant aliquae chartulae litteris gothicis lectu difficultibus, in quarum una erat scriptum: «Corpus Christi sparsum fuit super hoc corporale; cum summa diligentia debet custodi»; et in alia scriptum erat: «Benda, in qua involuta fuit pars corporis et corporale cum guttis Sanguinis Christi, et figuris». Quae theca erat in eodem armario, in quo miraculosum corporale conservatur et non modica difficultate aperta fuit; nec mediocrem pariter circumstantium admirationem haec reliquiarum inventio attulerat, quarum nulla inter incolas existabat traditio».

Quid de his particulis fuerit ignoramus prorsus; id tantum notamus, nunc in pretiosissima

(1) Cfr. an. III, n. I.



Vulsiniensis miraculi altare.

conchyliatisque peristromatis ornabantur. Inter peristylii arcus picta stemmata dependebant Cardinalium, quorum erat proprio aere viae tractum decorare, floreaque serfa, et coronae identidem demissae speciem elegantiamque adiungebant. Cryptoporticu pulcherrimis utrinque obtegebantur aulaeis, ad eorum exemplum, quae ex aureis et sericis filis in Belgio intexta, iussu Leonis X Pont. Max., imagines ab ipso Raphaële Urbinate crassa charta depictas adamassim referebant, quaeque olim iisdem ambulacris illustri erant ornamento.

Quum autem festus illucesceret dies, non Patres solum Cardinales, sed et canonicorum ordines, religiosae familiae, pontificia adolescentium collegia, et summi magistratus ad Vaticanum conveniebant pompa interfuturi. Dum omnia parantur, militum centuriae instructae nobili ornatu tum peristylii, tum parvi fori, et cryptoporticu praesidium constituebant, aciemque opponebant populo confertissimo prae nimia visendi cupiditate undique affluenti. Tunc temporis Purpurati Patres sacris vestimentis pro suo quisque ordine Xystinum sacellum ingrediebantur, ubi summus Pontifex, consueta adhibita praeparatione, sacrificibus assumptis vestibus, rem divinam, haud tamen sollemni ritu, faciebat, Episcopo qui a Sacris est domus pontificalis, intimisque item a Sacris domus eiusdem ministrantibus, ac XII viris s. Consilii litibus iudicandis (1) ad postremum aerae gradum oppositis in genua adstantibus. Immaculata dum offertur Hostia animos omnium suspensos tenebat mirus concentus, quo decantabatur versiculus: *Frates ego enim, eaque in sublime elata abrumpebat silentium alterius versiculi cantus: O salutaris Hostia* (2).

Sacrificio confecto, Pontifex in sacrarium redibat; sacerdotalem vestem deponebat, ac sollempni penula indutus sacellum iterum petebat; flexis genibus Eucharisticam Hostiam venerabatur, eique thura offerebat. Postea ad hexa-

(1) Vulgo: *Auditores s. Rotae.*

(2) Eum explebant octo cantores, qui Pontificem prosequi in pompa debebant.

phorum (1) se conferebat, quo super ponebatur Sacramentum augustum a Protodiacono Cardinale, qui illud ex altare deferebat sub umbella ab altero ex acolythis Sacrarii pont. dom. suffulta. Statim ex ordine disponebantur eorum classes qui Pontificis vestigiis insistere debent, nam antea quam instituta pompa progrederetur, ob oculos Protodiaconi Cardinalis, qui ferulam manu gestans, assidebat ad cryptoporticu fores, ubi aderat praesidium Helvetiorum, inspectantibus item Urbis Praefecto ac pontificiae domus Praeposito, iter bini aggrediebant universi ordines, qui ex notula edita et a Pontifice Maximo recognita per vices appellabantur a Viatore (2) sacrae Curiae viri eminentissimi vicaria Pontificis Maximis potestate in Urbe fungentis, rem totam moderante Antistite caeremoniarum pontif. Eorum unusquisque cereum ferebat accensum, ac per omnes itineris tractum vel legebant, vel preces concinebant, quae typis impressae singulis tunc diribebantur, praeter quam quod eorum quilibet suos habebant cantores alterne psallentes.

Delectorum militum manipulus tympanotribis praevantibus ecce viam pandit; duo militum ordinis utrumque procedentium latus tuentur, quorum incessum statumque moderantur cum Viatores sacrae Curiae, quos supra nominavimus, ac Viatores Pontificii, togula violacea, scipionibus subnixi, tum Antistites caeremoniarum pont., qui talarem vestem laneam rubram exsilis texturae et lineum amiculum deferunt, praeter primum et alterum, qui talari ueste serica violacea, fascia cum villis ornata, ligneoque amiculo alii manicato (3) superinecto induuntur.

Primi omnium procedunt post elatam crucem alumni hospitii apostolici s. Michaëlis ad maiorem Tiberis ripam atrati, ueste lanea exsilis texturae modo induti, fascia concolore ad lumbos praecincti. Pone eos gradiuntur alumni orphanotrophii S. Mariae in Aquiro suo proposito vexillo, albati cum epitogio et linea amiculo; deinde Sodalium Religiosorum cleris, singuli suo quisque sub labaro.

Proximi eunt Monachorum Ordines, deinde adolescentes clericorum romani Seminarii alumni; quatuor supra quinquaginta Rectores curiarum Urbis, linteo amicti et alba stola spectabiles; Collegium templorum Canonici et Beneficiarii; qui quidem omnes, licet uno eodemque sub Crucis vexillo incedant, singuli tamen propriis utuntur ornamentis, adeoque alii almutra (4), alii linteo tantum amiculo conspi ciuntur. Quaestor romani cleri eos comitatur, quem sequuntur minorum basilicarum collegia ac deinde basilicarum Patriarchalium, Liberianae, Vaticanae, Lateranensis. Vaticanum vero collegium ad pronaon progressum inibi consi-

(1) Huiusmodi machinamenti — quod ab Alexandro VII P. M. initium duxisse vulgo creditur — forma pluteum exhibebat preceptioni aptum, lignea sculptura inaurata splendide ornatum, scanno inferius, pulvinari serico tenui auro intecto desuper adoperum, cui Pontificis brachia incumbebant. In medio autem pulvinari orbiculatum e crystallo, radiatumque ex auro encaustis effigiatum, ac multis variisque distinctum gemmis affigebatur sacrae Hostiae receptaculum, quod Pontifex ipse genuflexus, corpore autem cingulo, vel fasciae ininxus manibus sustinere videbatur. Qui quidem apparatus albo paludamento satis amplio totus contegebatur.

(2) Vulgo: *Cursore.*

(3) Vulgo: *Rocchettum.*

(4) Vulgo: *Mozzetta.*

stit dium Sacramentum excepturum, atque idcirco pompam pone Pontificem consequitur.

Quodlibet ex hisce canonicorum collegiis suum habet insigne, suumque Vicarium, qui Antistes est Domus Pont. Max. violacea ueste indutus, itemque Accensos, qui rubris scipionibus panno serico rubro et villoso obtectis, cuspidi ex aere inaurato, subnixi, tamquam designatores praeeunt. Sed praeter tot alia spectantium oculos in se convertunt tentoria (1), quae textilibus rubri, flavique coloris alterne intexta (e quo fortasse *papilionis* nomen) una cum tintinnabulis ante Crucem eorumdem collegiorum deferuntur, ac *sinnichia*, seu *zinnichia* dicuntur (2).

Sequebatur Antistes suffectus Cardinali vice sacra in Urbe fungenti una cum Cognitoribus et Administris sacrae eiusdem Curiae.

Magnus deinceps apparebat eorum numerus, quibus ius est in Sacrum pont. domus conveniendi, nempe: Cubicularii ornamentarii et intimi ab ense et clamyde; Statores decuriales (3); Patroni decuriales sacri palatii (4); Magister pietatis familiae pontificiae domus cum Oratore apostolico; Propraefecti plurium reliquias ordinum; Decuriales et intimi a Sacris domus pont., aliique intimi a Sacris; Advocatus fisci cum Praeposito negotiis mensae publicae Pont. Max. (5); Advocati S. Consistorii, Cubicularii honorarii et intimi; Cantores pontificii talari sua ueste sericea violacea et zona ad extrema capita villo distineta, linteoque amiculo. Pone hos veniebant Antistites adlecti in Collegium Breviaturum ordinis primi (6); Antistites adlecti in Consilium Principis ad caussas rerum iudicatarum dirimendas (7); XII viri Urbi curandae (8); XII viri s. Consilii

(1) Vulgo: *Baldachinum, umbella.*

(2) Lateranensis basilicae collegio privilegium inest duplex hoc ornamentum habendi. Tintinnabula vero identidem et ad ictus pulsantur interea dum pompa procedit, vel ad monendam plebem, ut Crucem veneretur, quae fuit fortasse prima tintinnabulorum inter pompa pulsandorum causa, vel ad submovendam a procedentibus turbam.

(3) Vulgo: *Scutiferi*, italicice: *Bussolanti.*


(4) Italice: *Procuratori di collegio.*

(5) Vulgo: *Commissarius Rev Camerae Apostolicae.*

(6) Vulgo: *Abbreviatores de Parco maiori*, sive *Assistentes S. R. E. Vicecancellario.*

(7) Italice: *Votanti di segnatura.*

(8) Ital.: *Chierici di Camera.*



Theca sacram linteolum, sive « Corporale » in Urbevetana cathedrali continens.

litibus iudicandis, quos inter Praefectus sacri palatii (1), e sacra Dominici patris familia. Deinde intimi a Sacris (2) triregnum gestantes infulasque pretiosas, quibus Pontifex Maximus utitur.

A subdiacono, qui iunior est e XII viris s. Consilii lit. iud., dalmatica induito, Crux elata defertur septem inter candelabra a totidem acolythis, qui sunt antistites e Consilio Princip. ad causs. rer. iudic. dirimendas, deportata.

Apud subdiaconum incedunt duo Magistri Ostiarii a virga rubra (3); et Praefecti admissis poenitentium expiandi alba sacerdotali veste amicti, quos anteeunt duo adolescentes talari veste nigri coloris et linteo amiculo, florrum fasciculum gerentes, e quo virga attollitur oblonga, conscientiae imperii argumentum.

Sequuntur Abbates infulati atque cum iis Archimandrita Messanensis et summus Magister Collegii S. Spiritus; Episcopi, Archiepiscopi et quattuor maiores Patriarchae cum infulis et sollemni penula, praeter Episcopos Graecum, Armenum et Syrum aliasque Patriarchas orientales, qui proprii ritus vestibus singuli ornantur. Deinde Cardinales Diaconi dalmatica, Cardinales Presbyteri sacerdotali veste, Cardinales Episcopi pontificali amictu spectabiles, infulati omnes, quisque cum suo accenso qui a syrmate appellatur (4). Ab externo autem latere cuiusque Cardinalis, qui statos legit psalmos hymnosque, aliquantulum procedunt eorum Cubicularii et Famuli nobiles ceream facem accensam duodecim librarium pondo gestantes; iuxta eos Magistri admissionum praecipuum Cardinalium insigne, biretum scilicet, ut appellant, purpureum manibus sustinentes; mox Decanus famulorum pallio serico nigro, cuius est manu tenere magnum petasum rubrum, quem pastorealem vocant, quo uti solummodo licet in sacris pompis. Universus denique sacer Senatus protegitur a Praetorianis helvetiis loricis et galea ferrea hastaque armatis, et a Milibus capitolinis, plumatili pileo, qui pontificium etiam comitatum tueruntur.

En III Viri rei publicae curandae (5) et Praefectus Urbis (6) a dextera Statoris proximi a solio, et Pontifex Maximus qui detecto capite divinam gerit Hostiam, qua supra exposuimus ratione, Cardinalibus Diaconis duobus latera tegentibus sub ingenti tentorio auratisque textilibus insigni. Eius hastae a sacelli foribus usque ad secundam stationem scalarum regalium fulciuntur ab iis qui a Relationibus sunt iudiciorum recognoscendorum et veniae principis impletandae (7); hinc ad portam in cryptopoticus exitu ab alumnis collegii Germanici; ad medium peristylium dexterum ab alumnis ephебei Urbaniani; exinde ad peristylii exitum ab alumnis Anglici collegii; ad medium parvum forum ab octo Presbyteris pallio serico nigro obtectis; ad militum usque stationem a Vicorum

Magistris; post hosce succedunt Praepositi piis florentinorum institutis in Urbe, equestri habitu, quorum est hastas ipsas sustinere per totum sinistrum peristylium; ex hac porticu ad pronai aditum a Praepositis Senensium haud dissimili veste; hinc ad medianam basilicam ab alumnis ephебei Nobilium sacris addictorum; postremo ad aram usque pontificalem a III Viris rei publicae curandae et a Iudicibus curiae capitolinae togatis, quibus accedit etiam Senator Urbis toga panni aurei amictus.

Circa Pontificem Max. procedunt cum quatuor argenteis laternis amplae molis totidem Statores decuriales et intimi a Cubiculo fulciantes flabella duo albo-plumaea. Eucharistiae vero Sacramentum praeeunt Antistites bini ex adlectis in Consilium ad caussas rer. iudicat. dirimendas thuribula gestantes, totidemque acolythi sacrarii pontificii cum cymbiis, ac caeremoniarum pontificalium Antistites duo, qui praesto Pontifici adsunt.

Utrique tentorii lateri duodecim adsistebant Statores decuriales cum cerea face. Conspicendi se postea offerebant infulæ pontificiae in communi usu positæ, quas Senior e XII Viris s. Cons. lit. iudicandis (1) linea amiculo, alioque manicato indutus gestabat duos inter Cubicularios intimos.

Succedebat Archiater Pontificis Max., qui tunc talari veste utebatur serica violacea, fascia concolore et epitogio laneo coccineo exsilis texturae cum cuculo panno serico subsuto; cui exterior comes erat Primus adiutor a cubiculo Pont. Max. pari epitogio, sed breviore.

Sequebantur alii Pontificii cantores; Antistes Maximus curiae Innocentianæ (2), Praefectus aerarii, Praepositus saec. dom. pont., unusquisque cum lacerna magna; Protonotarii Apostolici sive e numero Beneficiariorum (3) sive exsortium (4); Summi Sacrarum familiarum moderatores; Antistites a relationibus iudiciorum recognoscendorum et veniae Principis impletandæ; Accensi postremo pontificii, gladio cincti et clavam argenteam supra dexterum humerum afferentes (5). Ingens istud ordinum agmen claudebant Equi nobiles protectores saec. lateris Pont. Max., quibus praeabant bini duces et Vexillarius Ecclesiae sanctæ magnifico militari ornatus; supremus copiarum Imperator inter tribunos duos; praeterea ceteri copiarum Praefecti; ala Equitum a publica securitate, ala Dimacharum cum suis quaque vexillis; deinde cohortes omnes peditum, nempe Urbani Milites singulares (6), Milites a publica securitate, Milites tum gravis tum levis armature; qui quidem omnes antea ad viae praesidium dispositi, ut confertissimos coherenter spectatores, paullatim colligebantur pompam ipsam prosequuturi. E singulis cohortibus delecti tibicinum manipuli suavi concentu aures mulebant, quem tympanorum fragor identidem excipiebat; tum tormentorum bellicorum tonitru ab arce s. Angeli auditur frequens, aeraque campanariae turris Vaticanae basilicae pulsata reboant.

(1) Italice: *Maestro del S. Palazzo Apostolico.*

(2) Vulgo: *Cappellani secreti*

(3) Ita appellati sunt ex privilegio quod antea iis erat

virgam rubram gestandi. Dicebantur *Ostiarii*, quod custodiens forenses clavis sacrarum Pontificis Maximi vestium;

nunc autem eorum est pontificale Crucem custodire.

(4) Vulgo: *Caudataro.*

(5) Italice: *Conservatori del popolo Romano.*

(6) Italice: *Governatore di Roma.*

(7) Vulgo: *Referendarii de signatura.*

Hic itaque erat cultus et ritus magnificus, quo in Vaticano, quoad tempora concesserunt, sollemnia Corporis Domini peragebantur, idemque sacrosanctum Corpus publice circumferebatur.

CHRISTIANI MARTYRES

FLORENTIAE COMMEMORATI.

A clarissimo viro Felice Ramorino, Florentini athenaei doctore, has litteras accepimus, quas publici iuris facere nobis placuit, auctori vehementer gratulantibus:

Comm. *Vox Urbis* moderatori v. c. F. Ramorinus s. p. d.

Legi nuper in ephemeride, cuius conscribendae tua cura est, quam pie, quam magna frequentia, quanta adstantium commotione in SS. Nerei et Achillei basilica memoria martyrum Diocletianeae persecutionis celebrata sit. Quam libenter interfuissem si facultas data esset! Sed quoniam non potui, notum tibi esse cupio, quod in me est memoriam martyrum recoluisse me superioribus diebus habita oratione uela de romanis coemeteriis in universum. Auditoribus stipatum erat conclave ubi locutus sum; exhibita Romae imagine chorographica, ubi coemeteriorum locus signo erat distinctus et plurimis rebus sub oculis positis ea ratione quae a lineis in album linteum proiectis nomen habet, illa summatim exposui quae ad notitiam coemeteriorum praebendam pertinebant; quod nondum ad hoc tempus Florentiae factum erat. Nonnihil igitur, ut credo, contuli ad martyrum memoriam renovandam. Hoc volebam, nescius ne esses. Vale.

D. Florentiae postridie kal. Maias a. MCMIV.

ACTA PONTIFICIA

I.

De mandato SSmi a Cardinali S. Concilio Tridentinæ decretis interpretandis praeposito indicitur Apostolica Visitatio in omni Italia.

Constat apud omnes, supremæ romani Pontificis auctoritati ius esse atque officium de statu ecclesiærum omnium cognoscendi, et a singulis Praesulibus exigendi, ut sui quisque ministerii rationem Ipsi reddant. Id profecto sibi volunt Christi verba: *Pasce agnos, pasce oves*, id Ecclesiae unitatis postulat ratio, id actum ab initio et non intermissa consuetudine servatum docet historia.

Ingi autem experientia compertum est, quo plenius et intimius hic nexus Romanum Pontificem inter et Episcopos viguerit, eo felicius religioni contigisse. Nam ex unione auctae vires, Ordinariorum auctoritas maior effecta, vitiis et erroribus obex citius et efficacius paratus, animarum saluti melius consultum.

Duplex autem modus est quo Romani Pontifices de statu ecclesiærum certiores fieri consueverunt. Aut enim ipsarum rectoribus mandarunt, ut de sua quisque dioecesi ad Apostolicam Sedem fideliter pleneque referrent; aut legatos miserunt, variis nominibus pro temporum, locorum adiunctis, aut pro natura munierum designatos.

Ita sane consueverunt Apocrisarios, Nuntios, aut Delegatos Apostolicos ad principes temporales destinare, non alia quidem de causa quam ut quae ad christianam rem publicam spectarent cum eis age-

rent. Ita quoque Legatos frequenter miserunt ad particulares ecclesias aut ad alicuius regionis regnive fideles, ut religiosa illius loci negotia directo curarent, nunc ordinaria quadam et stabili ratione, ut Legati nati, nunc extraordinario modo ac temporario, ut Visitatores Apostolici.

Peculiaris vero Summorum Pontificum cura fuit ut Italia, quae sua ipsius conditione Romanam Ecclesiam propius attingit, arctiori vinculo Apostolicae Sedi obstringeretur, cum eaque frequentius communicaret. Idecirco S. P. Sixtus V in Const. *Romanus Pontifex* decrevit, ut eius Episcopi crebrius quam ceteri, idest unoquoque triennio, Ss. Apostolorum lumen visitarent ac de suarum dioecesum statu referrent; eademque de causa Visitatores Apostolici ad diversas Italiae dioeceses aut regiones, praesertim post SS. Tridentinam synodum saepe missi, etsi iam penes principes et respublicas, quies olim Italia constabat, Apostolici Nuntii essent, qui negotia religionis vigilarent.

At nunc civilibus Italiae conditionibus mutatis, quum alia complura, tum etiam esse desiit institutum hoc saluberrimum. Quo factum est ut una quoque ex potissimum rationibus defecerit, quibus Romanus Pontifex possit cognoscere, quid boni ac meriti alicubi sit, aut quid forte reprehensione dignum, ut valeat opportune providere.

Quod quum diurna satis experientia docuerit haud sine Ecclesiae detimento accidisse, v. m. Pontifex Leo XIII S. Concilii Congregationi commisit, ut videret si quis forte modus esset quo defectus ille pro temporum conditione suppleretur.

Haec autem, omnibus mature persensis, optimum factu censuit Apostolicam quandam Visitationem instituere per sacri ordinis viros, dignitate, doctrina, et prudentia praestantes, qui certis temporibus variis Italiae regiones perlustrarent; ab Episcopis audirent, quae cleri esset, quae populi, quae cultus divini conditio; ubi forte opus esset, suis ipsis oculis cernerent atque, interposita fide silentii, ad Apostolicam Sedem referrent.

Consilium Leoni XIII probatum, sed Ipsius morte interceptum, Pio X, vixum ad Petri cathedralm eventus est, magnopere placuit. Imo necessarium duxit ut quamprimum perficeretur.

Iussa itaque SS^mi Dñi Nostri peragens S. Congregatio Concilii praesentibus litteris mandat, ut singuli Italiae Ordinarii recipient Visitatores Apostolicos, quos statis temporibus S. Sedes ad eos in posterum missura est: eisque de statu suarum dioecesum referant iuxta legem in adiecto folio statutam.

Multa ex hac Visitatione licet sperare bona. Ea enim in primis ipsius episcopalis auctoritatis praesidio est instituta, quo iuvare possunt Antistites, sive ad clerum gregemque suum in officio continentum, sive ad citius expedienda negotia, de quibus consula sit Apostolica Sedes. Praeterea hac ratione subiici poterunt fidelibus oculis multa quae saepe frustra desiderantur sive ad pastorale munus aut utilius obeundum aut commodius, sive ad arcendas difficultates, quae in animarum regime interdum occurunt. Denique coniunctius agendo cum Romano Pontifice ipsa Ordinariorum dignitas augebitur, et facilius episcopale ministerium evadet.

Praesentibus valitulis, contrariis quibuslibet sive ex privilegio, sive ex consuetudine, sive ex speciabilibus statutis aut constitutionibus minime obstantibus.

Datum Romae, die vii mens. Martii an. MDCCCCIV.

VINCENTIUS Card. Episc. Praenestinus
Praefectus (1).

II.

Sanctissimi Domini Nostri Pii PP. X litterae ad Eminentissimum Virum Iosephum Sebastianum Néto, Olyssiponensem Patriarcham, circa Lusitanum Collegium de Urbe.

Supremi pastoralis munera, quo in Christo fungimur, pars quidem non ultima est externe iuventutis variis domiciliis in Urbe positis omni utilitate propicere, ubi iuvenes omni ex gente delecti in spem

(1) Sequentur regulae circa Apostolicam visitationem.

Ecclesiae veluti in plantario succrescent. Hi enim quasi in oculis nostris quotidie versantes, incorruptam Christi sapientiam ex ipso Petri fonte hauriunt, quam sacerdotio aucti iidemque in patriam remissi faciliori ratione inter suos praedicare consueverint. In horum collegiorum numero illud quippe recensemus, ubi flos Lusitanae iuventutis ad sacerdotiale munus formatur: quod a Leone XIII immortalis memoriae Decessore Nostro conditum, veluti ceteris aetate in Urbe recentius est, ita maiori cura atque effusori caritate complectimur. Emolumento enim non mediocris copia brevi temporis spatio exinde relata certam ampliorum fructuum spem praebet, qui in Lusitanum Clerum in posterum dimanabunt. Porro sacerorum alumni eo recepti iidemque dilecti filii Iacobi Sinibaldi Sacerdotis optima disciplina instituti, virtutis, doctrinaeque laude sic florunt ut non modo facile hinc Nobis conjectare liceat eorum ministerium religioni neque minus civitati fore perutile, sed ipsimet iam pridem constituerimus omnes vires Nostras in huius Instituti bonum utilitatemque conferre. Verum in tanta benevolentis animi, qua ducimur, propensione, dolet vehementer quod non Lusitani omnes incepitis studiisque Nostris eo animi ardore consenserint, quem operis excellentia expostulabat. Qua ex re factum putamus ut incerti quidam rumores serpent ad Lusitani Collegii decus minuendum ab iis plane conflati, qui aut animum instituto iniuste adversantem gerunt aut conditionem eius male docti levi mente diiudicant.

Quae omnia tibi, dilekte Filii Noster, aperire voluimus ut quibus caritatis et iustitiae sensibus praestas omnes et singulos religiosissimos Lusitaniae Antistites de hac mente Nostra certiores faceres eosque omni officiorum genere incenderes hoc in opus, quod quum iis summo emolumento erit, tum genti vestrae universae decore insigni futurum esse promittit. Interea bene sperantes ut Virginis ab omni labore immunis patrocinio omnia feliciter exeat, et tibi et omnibus Vulnerabilibus Fratribus Lusitaniae Episcopis benedictionem Apostolicam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die xix Aprilis anno MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Episcoporum et Regularium:

— Sorores Trinitariae, quorum Institutum Matriti in Hispania exsistit, et finis est foeminas puellas viatorum coeno immersas vel certe magno praecipites in peccata labendi periculo expositas colligendi atque omnimode instruendi, licet habitum caeruleum extreius et tunicam albam cum scapulari Ordinis interius gestent, cooptari et aggregari possunt a Superioribus Ordini SS^mae Trinitatis. (Ex decr. d. xviii mens. Martii an. MDCCCCIV).

Ex Congregatione de Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis:

— Societati Germanicae de Terra Sancta, vulgo *Deutscher Verein vom heiligen Land* sub praesidio Archiep. Coloniensis constitutae, quae quotannis peregrinationes Terrae Sanctae invisendae causa instituit, pro tempore peregrinationis in favorem peregrinantium privilegia quae sequuntur ad triennium concessa sunt:

I. Extra Europam missae sacrificium in altari portatili terra marique celebrandi, servatis servandis.

II. Pro sacerdotibus, dummodo a proprio Ordinario confessiones excipiendi facultatem habeant, audiendi confessiones fidelium secum peregrinantium.

III. Pro sacerdotibus recitandi rosarium quinque decadum loco officii divini, si illud commode recitare nequeant.

IV. Pro omnibus edendi carnes diebus vetitis, si alius cibus commode haberi nequeat, remoto tamen omni scandalo. (Ex. decr. d. i mens. Martii MDCCCCIV).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum:

— Festum Dedicationis ecclesiae cathedralis fieri debet ab universo clero dioecesano. (Ex decr. d. xxviii mens. Decembr. an. MDCCCII).

— In exequiis peragendis sacerdos celebrans induere debet pluviale et incensare. (Ex decr. d. v mens. Martii an. MDCCCI).

— In missis cum cantu absque ministris, cum nulus sit Clericus inserviens, qui superpelliceo indutus Epistolam decantet iuxta rubricas, satius est quod ipsa Epistola legatur sine cantu ab ipso celebrante, nunquam vero in Ecclesiis Monialium decantetur ab una ex ipsis. (Ex decr. d. xxviii mens. Aprilis an. MDCCCLXXV, revoc. d. v mens. Mart. MDCCCCIV).

— Si adsit necessitas tolerari potest consuetudo ut sacerdos qui ad Altare aliquod celebraturus accedit vel ab eo recedit, sic sacris vestibus sacrificii indutus, et praे manibus calicem tenens, ascendat in transitu ad Altare, in quo adest Sanctissima Eucharistia, ut ibi Sacram Comunionem fidelibus distribuat. (Ex decr. d. xii mens. Martii an. MDCCXXXVI, revoc. d. v mens. Martii an. MDCCCCIV).

— Biretum, quo Protonotarii Apostolici ad instar *Participantium* in sacris functionibus utuntur, nigrum profecto esse debet; nihil tamen minus ornari poterit, iuxta usum quasdam in regiones iam invectum, lemisco eiusdem coloris ac vitta seu chordula qua plementum circumcingere solent.

Protonotarius Missam pontificaliter celebrans, omnia quae legenda sunt vel canenda, nunquam ad scannum, sed semper ad altare leget vel cantabit. In fine autem Missae simplicem benedictionem, non trinam, impetrans, non audeat, more Episcoporum, praemittere: *Sit nomen Domini... et Adiutorium nostrum...*, sed, mitra coopertus, tantummodo canat: *Benedic vos omnipotens Deus...*

(Idem) cum petit ecclesiam pontificaliter celebraturus, Crucem pectoralem super mantelletum et anulum in digito gestare poterit.

Protonotarius item poterit, mitra, Cruce pectorali et annulo ornatus, ad scannum celebrare Vespertas more presbyterorum, illius festi, cuius Missam ipse pontificaliter acturus est, vel peragit. Iisdem quoque ornamenti uti poterit, de speciali tamen commissione Ordinarii loci, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio qualibet Praelato celebratur; in benedictione cum SS^mo Sacramento solemniter impetranda, atque etiam in processionibus, necnon in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis de quibus in Pontificali Romano.

Protonotarius lectam Missam facere, etiam extra Urbem, poterit, iuxta modum et formam (in const. Pii PP. IX *Apostolicae Sedis officium*, d. iv kal. Sept. MDCCCLXXII, § xix) praescripta, quando id munera in aliqua solemnitate adimplendum eidem commiserit loci Ordinarius. (Ex decr. d. ix mens. Martii, a. MDCCCCIV).

DIARIUM VATICANUM.

(Die xi mens. April. - d. xx mens. Maii MDCCCCIV).

Coram SS^mo admissiones.

Inter clariores viros apud Pontificem admissos peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Carolus Magathae de Azeredo, a secretis Brasiliensis legationis apud Apostolicam Sedem; Mathias Radziwill, magnus Russici Imperatoris venator; Ladislaus e principibus Sapieha; collegium Canonorum SS. Celsi et Iuliani de Urbe; Catholicorum Civitatum foederatarum Nordinae Americae manus; Gartevyski princeps; Rosebery, Anglus dynasta; Stanislaus Tarnowski comes, consiliarius intimus Austrorum Imperatoris; Stanislaus Badeni comes, Galiciae ac Lodomyiae mareschallus; Poloni peregrini; Augustus Dziedurzycki comes, apud Austrorum Imperatorem cubiculariorum magister; Eñi Patres Cardinals, Archiepiscopi, Episcopi, antistites, presbyteri quondam Seminarii Urbani Pii alumni, qui Romanum convenere ad celebrandum L annum ab eiusdem seminarii institutione; Siculi et Neerlandici pere-

grini; Ioannes Baptista Ceschi a S. Cruce comes, Supremi Ordinis Melitensis protomagister; Paulus Colon, Praeses Generalis Societatis S. Vincentii de Paula; Itali peregrini ex Terra Sancta reduces; eximus vir Matriti dux, eiusque uxor.

Pontificiae electiones.

Commissioni ad Concilia Provincialia examinanda addicuntur Purpurati Patres Franciscus Casetta, Casimirus Gennari et Beniaminus Caviechioni.

— Rm̄us P. Schuler, Ord. fratrum Minorum Minister Gefilis, inter consiliarios S. Congnis de Propaganda fide refertur.

Varia.

Motu proprio SS̄ni committitur Vaticanae typorum officinae editio librorum liturgie cantus, collegiumque constituitur quod rei curandae praesit.

— Coram SS̄no habita est Sacrorum Rituum Congregatio generalis ad disceptandum a) circa dubium quod de *tuto* appellatur in canonizatione B. Alexandri Sauli, episcopi Papiensis; b) circa declarationem martyrii VV. SS. Dei Agathangeli et Cassiani ex Ord. Capulatorum; c) circa miracula duo, quae a Deo patrata asseruntur intercedente V. S. D. Gaspare del Bufalo, Canonico basilicae S. Marci de Urbe.

— Pariter in Vaticano palatio S. Rituum Congregatio convenit ad iudicandum a) de validitate Apostolicorum processuum circa miracula duo quae asseruntur a Deo patrata intercedente V. S. D. Ioanne Eudes; b) de validitate ac relevantia Apostolici processus super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere V. S. D. Antonii M^{ae} Claret, archiepiscopi Traianopolit.; c) de cultu nunquam exhibito VV. SS. D. Apollinari de Almeida, episcopo Nicaeno, Hyacintho Franceschi, Francisco Ruiz, Abraham de Giorgis, Gaspari Paes, Ioanni Pereira, Ludovico Cardeira, Brunoni Bruni e Soc. Iesu in odium fidei in Abissinia interemptis; d) de validitate processuum tum Apostolica tum Ordinaria auctoritate constructorum in causa beatif. et canonizat. V. S. D. Iosephi M^{ae} Pignatelli e S. I.; e) item in causa beatif. et canonizat. Ven. Sor. Annae de Iesu, ex Ord. Carmelitarum exalceatorum; f) de validitate et relevantia processus Apostolici super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere V. S. D. Mariae Adeodatae Pisani ex Ord. S. Benedicti.

ANNALES.

Iaponici bellī vices.

Quae bellī Iaponici vices enumerantur, quaeque per diaria omnia vulgantur enucleare ad mensim, tantus labor esset, qui spatiū nobis concessum omnino vinceret. Ea itaque per summa capita recolemus.

Post adversa bellī auspicia, mersumque iaculatoriis subaqueis globulis maximum Russorum navigium, redintegrare fortunam quovis pacto dux ille Arthurianus contendit. Qui quidem classem Vladivostochium in portum receptui educi curavit ad advelitandum; idque non sine aliqua fortuna, quum navigiis datum fuerit et onerarias nonnullas et iaculatorias hostium naves inopino occursu mergere vel captivas ducere.

Verum paulo post, incredibili paene audacia vitaeque effusione miranda datum est Iaponiis in ipso Arthuriani portus ostio novem usque sua navigia nullo pacto repulsa demittere, quibus unda obrutis, via portus fere omnis ita praeclusa est, ut iam nulli navigio neque accedendi neque discedendi copia esset.

Deinde terrestres Iaponensium copiae hinc Kurokio duce, inde Oku Lian-tung in peninsulam tuto pede descenderunt. Ille vero mira-

bili arte coacta manu ad Yalu fluminis ripam, aquarum cursum diligenter dimetus est; hic pontem transiecit longissimum ad impedimenta transvehenda, peditesque equitesque transtulit.

Hisce instructis, Idibus Maiis ingens commissum proelium est; verum ea erat Iaponensium multitudo ut, non sine arte, hostem ipsum circumvenerint, atque cedere loco coegerint. Verum haud exigua, non tam hostium quam sua quoque clade, parta victoria fuit, neque inglorium Russis proelium; qui haud virtute sane, sed multitudine superari visi sunt. Sequuta inde brevi castrorum occupatione et copiarum coniunctione, Arthurum oppidum terra marique quasi obsessum et circumdatum hostes tenuerunt.

His gestis belli rumor non longe ab ipsa urbe processit, eamque circum pugnae, sed eae non graves pugnatae sunt, copiaeque in litus immissae undique. Verum inopinato Iaponiis fortuna contigit ab ea haud dissimilis, quae adversarios pereusserat. Quum enim eorum navigia certo in loco ad oppugnandum missilibus Arthurianum portum consedere viderentur, parati ibi ab hostibus quoque globi illi subaquei sunt, in quos eorum naves tres occurrentes, praecipueque *Hatsusa* ingens navigium, cum omnibus paene nautis demersae sunt ad imum.

Thibetana expeditio.

Reliqua quae flagrant bella vix, post tot relatas clades, innuimus. In Thibetana Asia-tica regione, per quam Angli expeditionem ducunt, eorum agmina a barbaris circumobsessa aegre sospitem ex insidiis retulerunt pedem. Quamvis enim strenua audacia pariterque insigni virtute in discrimen illi descendissent, hostium tamen arma, multitudo, studium libertatis patriaeque caritas ea fuere, ut iter facientes hostes prope deleverunt, nisi amica maxime fortuna succurisset.

Africanae res.

Somalum in terra Aethiopici pseudoprophetae reliquias copias Angli persecuntur atque disperdunt: Illig autem ad litus perfugas, qui sua ibi munimenta posuerant, non sine Italicae navis auxilio postremo propulsarunt.

Postrema in Africa ad Germanorum copias, Herreros contra barbaros arma ferentes, Trotha legatus Vilhelmi Caesaris missus est, qui eas moderetur et ad victoriam ducat.

Per Turcarum oras Armeni nova semper crudelitate oppressi in dominatores iterum insurrexere. Graeci vero quidam mercatores Smirnensi in urbe cum ob negata diu vectigalia eversam a militibus turcis suam tabernam vindissent, quumque Graecus ipse legatus percussus ab eis, iniuriisque fuerit lacessitus, patria arma quaesierunt ad causam suam tuendam. Byzantino igitur imperatori tres novissimae hae contentiones excitatae sunt, praeter Macedonicam seditionem clam usque servatam, in quam Georgius ille, italus dux, arma instruere non sine multis obstaculis sategit.

Americanae discordiae.

Americanas per terras Montevideanae res publica consuetis seditionibus laborat. Qui praesidi favent milites, quique adversam factionem

sequuntur varia fortuna iam pugnant. Renascuntur autem inter Brasilianos ac Peruvenses irae de Acrensis regionis finibus, ita plane ut Brasiliani magistratus parari copias terra marique mandaverint. Incertum adhuc bello a pactione definienda discordia sit, quam ut endaret non semel iam Haganum illud tribunal adlaboravit.

Regalia itinera.

Regalia itinera postremo sunt memoranda. Nam Angli imperii haeredes ad Franciscum Iosephum Windobonam descenderunt, quos sex imperator magnifico hospitio multoque plausu populi sui exceptit et per plures dies hospites habuit.

Alfonsus, Iberorum rex, suum adhuc regnum lustrat comitante Maura administratore, viro sane prudentissimo pariterque piissimo, quos non tam honestioris ordinis cives, quam et opifices et plebs summi gaudii testificationibus saluant.

Vilhelmus Caesar, inferioris Italiae litora diu studioseque lustravit. Melita ex insula in Siciliam reversus est: Corcyram autem quo appellere statuerat relinquens insulam, Venetas revisum ivit, quam inter peninsulae nostrae urbes pree ceteris diligit.

Loubet vero, Gallorum praesidis, ad Urhem visitatio causa fuit ut Romanus Pontifex, cuius quasi spernere iura et sanctitatem ille palam visus est, de eodem suscepto itinere vehementer sit protestatus; quod Galli aegerrime ferentes legatum suum ad tempus revocarunt.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Americana nordica republica lex lata est ut immigrantium ingressus facilior omnibus populis, praeterquam Sinensibus, fiat.

In Anglia municipes lege de aerario plura carent; senatus vero de bene pacto cum Gallis pacis foedore palam est laetus, et publice edixit.

In Argentina republica Roca praefectus clarissima habita oratione legiferos coetus iterum ad annum auspicatus optime fuit.

In Austrorum legifero coetu Bohemi eorumque adfinis data opera diurnis sermonibus tempsterentes saluberrimum quemque legum laborem omnino prohibent.

In Brasiliiana republica, praesidis diserta oratione legum latarum iterum labores coepit sunt; sed brevi Chilensis belli rumores eos interturbarunt.

In Chilena republica administrari omnes e munere discedunt.

In Germanicis comitiis de re publica erga peregrinos gerenda Bebel acerrime in administros dixit; Buloivius contra, hostis animadversiones vehementissime respuit.

In Italia de erogandis in annum publicis sumptibus disceptationes habentur: de ecclesiasticis legibus innovandis quaedam proposita sunt, sed absque suffragio praetermissa.

In Lusitania Carolus rex, ne tempus inutiliter ab oratoribus populi tereretur, legatos omnes populares decreto dimisit, non ante autumnum iterum ad vocandos.

In Peruviana republica Caudenius praeses una cum collegio administratorum suo se munere abdicavit.

In Rumenia aes alienum reipublicae causa ad ballistaria tormenta emenda nulla paene disceptatione legati populares lege decreverunt.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

PER ORBEM.

DUM rem publicam omnem tum Europae veteris, tum iunioris Americae, Asiaticum illud bellum acerrimum commovet, non paucas ex nostris gentibus **rumor seditionum** et pessimum civilium bellorum flagitium pessumdat. Proximi vero nobis Apuli praesertim Cerinolensi in oppido cucurrere ad arma operari, per vias, rabie amentique furore capti, munimenta extruxere curruum aliorumque, indeque concurrentes obviam, militum agmina feroci audacia saxis, manuballistis, mucronibus propulsarunt variosque per dies, magna adfinium turba multiplicati, oppidum omne metu et flagitiis sua in ditione tenuerunt, domus privatas publicas incendiis et ruinis depopulavere.



Poenaica vero **seditio** illa quae, prope Africu*m* litus exarsit in Gallorum Berbera colonia, huiusmodi in scelestos conatus non prorupit. Nam cum Pichonio, Gallico illis in locis legato, res tum dominorum tum opificum compositae sunt; unum vero adhuc obstat, machinarios operumque susceptores novas sibique acceptas pactiones non ante autumni proximum tempus servandas velle; opifex contra, vix ad unum mensem differendum pactionis adimplementum consentire.



Graviora Brivatensium in portu contigisse leguntur. Tirones enim nautarum in *Britannia* navi considentes, in decuriones suos insurerunt: quos congregantes ac percutientes in mare prope deiecissent, nisi ipse navarchus eiusque praefecti succurrissent. Quorum opera, nautis adiuvantibus, repulsa tironum seditionam manu obserare in cubiculis est datum, quorum instructi nautae custodiam ad fores agunt. Deduca ad portualem praefectum re, septem et viginti tirones ad vincula damnati sunt, viginti ignominiae causa dimissi.



Neapoli vero longe aliis atque **insolitus tumultus** ortus est in pauperum, quod dicitur, hospitio, quem coeci senes secum invicem convenientes movere. Hi enim cum a novo hospitiu*m* praefecto deambulandi tempus coactatum nimis sibi vidissent aut arbitrarentur, quingentii ut sunt numero, paene omnes rem aegre tulerunt; initaque pactione, idibus Maiis sub vesperam omnem domum vastare coeperunt, tabulas, subsellia, vitra ac reliqua huiusmodi frangere omnino ac delere. Custodibus concurrentibus atque hortantibus ut in quietem redirent, sedare animos nullimode datum est, quod neque vigiles ipsi neque urbani milites impetrarunt. Mane sequenti iterum ex iis unus ad campanulam confudit eamque percutiens socios convocabit ad signum. Tunc innovata rebellio est: telephoni tristes, fistulaeque aeris ardentes perruptae; deinde in moderatoris cubiculum turba irrupti. Neque ante restituta pax est quam milites adventassent, sed vulnerati ex miseri tot ex luctis quinque discessere, mox ex ipso hospitio decem electi sunt.



Sed Corsica insula magis cruenta vidit Pirollio in oppido absoluta. Ubi quum haberentur comitia ad eligendos oppidi curiones, inter adversas factiones ita irae exarserunt, ut illi inter curiales aedes quasi in oppido constitirent, isti circum hostes obsederint, proeliumque commissum missilibus non sine clade fuerit: quam civilem pugnam manu militari confici oportuit.



Panormi, iuxta navium officinam haud dissimile quondam certamen factum fuisse cre-

dimus: paucis enim abhinc diebus cum effoderent ibi per planitem latam foveae compliriae ad machinariam officinam aliam exstruendam, ossa ex quatuor supra decem caderibus, arida quidem et adusta, reperta sunt. Vario tamen aspectu variaque facie singula ita iacebant, ut non tam ex communi pestilentia ibi ea recondita fuisse crediderint periti, quam ex gravissimo quodam et occulto crimine, eoque praesertim, quod paucis abhinc annis scelestissimus quidam eam terram tributo tenuerit, qui maximo crimine accusatus in iudicium venerat. Res tamen adhuc tenebris oboluta manet.



Thesaurum contra Lycenses quidam rustici Galliani ex oppido cum quaesierint, arma invenerunt. Qui ad Franciscalium sodalium aedem venientes, praeposito consilium aperiunt proxima se nocte in horto futuros, ibique certo in loco excavantes talem thesaurum inventuros, unde non minus ipsi quam religiosa domus ditesceret. Nocte media, veniunt reapse effosores; at vix laborem ineunt siuum quum vigiles statim a praeposito adlocuti eos corripiunt in vineula deducendos.

Verum aucta late atque continuata undique excavatione, quum nihil innotuerit quumque nec obolum quidem emersisset, vinculis soluti omnes sunt; iusti enim erant, at creduli, at non sagaces. Quae ergo illis culpa, si fortunam adversam experti sunt?

VARIA

Maxima lignorum flammiferorum fabrica.

Tidaholm, quae est civitas trium milium et trecentorum incolarum in provincia Skaraborg Suecici regni, conficiens lignis flammiferis maxime praestat omnibus terrae locis. Quolibet anno undeviginti milia et ducenta metra cubica arborum resinaciarum consumuntur, quae rotantibus laminis serratis adhibitis in sexcentis radiis parvulis difissae, et in massam propriam immersae, postea fricando in scutulae pariete ignem concipiunt. Quotidie plus minusve bis milies centena milia igniariorum numerum septingenties tricies milies centena milia per annum aequiparantur producuntur. Trecentae machinae vi electrica actae qualibet die plus quam nongenta milia scatularum pro excipiendis igniariis praeparatis laborant. Plaustra graves scatularum inclusarum arcas gestantia per omnes diei horas ad ferroviam videntur, quorum onera in omnes Europae partes, immo vero trans oceanum distribuenda sunt.

P. CARINTHIACUS.



Palma cerifera.

Quid suavius melle, conficientibus apibus? Atqui habent germinantia quod melleum sit, et ipso melle fortasse iucundius in fructibus, uti fucus, uti calamus saccarigena, uti palma dactylifera, uti beta seu rapa a qua saccarum. Lac ferunt oves, capellae, vaccae, omne mamiferum genus; lactis genus invenies in palmis, et in plurimis arboribus. Quid denique cera pulchrius atque utilius, apum argumentosarum opus celebre, gratum Diis et hominibus? Sed reperta nuper cerifera palma est *Ceroxylon andicola*, quae in Andis ferax viget, neque metror. 1750 a mari altitudinem perhorrescit, estque frequens in montibus Quindiae. Quantae opes nostris apenninicolis, si palmarum talium plantatio communis fieret, auctoritate magistratum hortante, praemis propositis, honore saltem, quo divites magis quam pecunia mouentur!

EPISTOLARUM COMMERCIIUM.

AENIGMATUM SOLUTORIBUS, per Orbem.

- Aenigma II in superiore numero iterum proposimus ut sociis nonnullis morem gereremus, qui duplum eiusdem solutionem miserant, horantes ut reliquos etiam ad alteram explicacionem incitaremus. Itaque fecimus. Quum vero nova interpretatio haud satis perspicua - candide fatemur - nobis ipsis appareat, in mentem sociorum revocamus latrones et praedones in sanguine plerumque versari, atque apud Romanos fuisse quoddam servorum genus mensis addictum, de quo... legatis Iuvenalis satyr. IX, et bene valete.

Cl. v. I. MAIST... Schwaz. - Quae scire desideras, amplissima et omni parte absoluta invenies in operibus, quibus titulus: VITTORIO Rossi, *Il quattrocento*; FRANCESCO FLAMINI, *Il cinquecento*, Mediolani ab Ant. Vallardi recentis editis. - Pontani carmina an. 1902 Florentiae edid. G. Barbera (Vol. 2; ven. lib. 8).

AENIGMATA.

I.

Sponte sequor solem, lunam titaniaque astra,
lychnos, nyctelias funereasque pyras.
Divisus, geminas vestro de corpore partes
exhibeo: alterius lenta senecta caret.

II.

Candida, passa comas, liquidis emergit ab undis
seu maris aut rivi lene strepentis aquae.
Litera mutatur? Niveo de pumice manat
et saliens tenui flumine prata rigat.

Ex sociis, qui utriusque aegniamatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet carmen FR. XAV. REUSS in certamine poeticō Hoeufftiano magna laude ornatum, quod inscribitur:

AD FRANCIAM.

Aenigmata an. VII, n. III proposita his respondent:

1) Sus-tinea-mus; 2) Stips, Stirps.

Ea rite soluta miserunt:

Car. Stegmüller, *Sabaria*. - Ferd. Ferrari, *Guastalla*. - Guil. Schenzi, *Ratisbona*. - E. Gschwind S. P., *Praga*. - I. B. Pesenti, *Sedrina ad Bergomum*. - Roemer par., *Keijenberg*. - D. Le Provost, *Briocen*. - A. Libani, *Civitanova Picena*. - Ios. Wawer, *Vaals*. - S. Mercky, *Obertraubach*. - Senior Astensis. - N. D. Malymak, *Slivnica*. - C. Amalberti, *Abio Intemelio*. - Zivirzina par., *Lohnau Cosel*. - Coll. Schol. Piar. *Steltae*. - I. B. Mosettig, *Crautio*. - Cam. Straschill, O. F. M., *Villaco*. - Aug. Scriban, *Buzau*. - Aug. Paul, *Brasovia Transilvaniae*. - P. Batzdorff, *Ullersdorf*. - Civis Romanus, *Bremenhaven*. - Ioan. Cantono Ceva marchio, *Vercellis*. - Prince Gordon, *Manuncia*. - Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. - Ioan. Galbiati, *Mediolano*. - Ant. Mnichenhainbl, *Viener-Neudorf*. - Hier. de la Hoz, *Santander*. - Elis. Sanchez Paredes, *Hinojosa Duecis*. - Th. Questa, *Vercellis*. - Iac. Bertran, *Figueras*. - A. Dueil, *Ay*. - Fr. Skiba, *Wratislavia*. - D. Pettit, *Druncondra*. - Cos. Cerasoli, *Aesernia*. - Herm. Gini, *Aquis Taurinum*. - M. Hergesheimer, *Mödling*. - And. Pápay, *Pruzsina*. - Ios. Hiergeist, *Martinibuch*. - Ser. Sobanski, *Mlynou*. - Pasch. La Spina, *Iaca Regali*. - F. Sknypkowski, *Swinize*. - M. Koklsdorfer S. I., *Chyrcovia*. - Fr. Szymanski, *Niestronno*. - Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas*. - Alois. Cappelli, *Senis*. - Seminarium Vicense. - Nic. Malyniak, *Krasiczym*. - Ios. Walter, *Neo Eboraco*. - E. Burg, *Argentorato*. - Fr. Starace; Henr. Tarallo, *Neapolis*. - F. Müller, *Berolini*. - Petrus Tergestinus. - Peir. Becker, *Gebenhausen*. - Aug. Parrado, *Vallisoteto*. - I. I. Dunne, *Dublino*. - Gust. Grunes, *Nikolsburg*.

Sortitus est praemium:

C. AMALBERTI,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI

DE PLINII IUNIORIS

PANEGYRICO

AD IMPERATOREM TRAIANUM

ACROASIS.

Splendens
splen
dens
nympha
lympha

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCIV.

Pretium subnotationis est in Italia Libell. 4,80; ubique extra Italiam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA

ad libitum:

- a) Tabula metr. $0,45 \times 0,22$ Pontificiae dominationis auspicationem referens a Pio PP. IX an. MDCCCXLVI peractam, et in Commentarii "Vox Urbis", commodum unice ex antiqua tabula desumpta; *sive*
 - b) Collectio chartularum electissimarum, quae distincta coloribus praecipua Romae, aut eius vicina redundunt; *sive*
 - c) Urbis et Ianiculo monte prospectus. (Tabula aere cusa metr. $1,10 \times 0,24$)
-

Donum, quod voluerit, quisque subnotans petet **primum intra mensem ab eius subnotatione** et cum ipso subnotationis pretio.